846.7 7.

OFFICIVM
S. IO. GVALBERTI
ABBATIS.

Congregationis Vallisumbroſæ Inſtitutoris.

SEMIDVPLEX.

A Sac. Rit. Congr. recognitum, & approbatum.

Ex Indulto Sanctiſſimi D. N. ALEXANDRI Diuina diſpoſitione Papæ VII.

Ab omnibus tum Sæcularibus, tum Regularibus vtriuſque ſexus in vniuerſa ditione Sereniſſimi Magni Ducis Hetruriæ recitandum die xij. Iulij.



BIBLIOTECA NAZIONALE 1872 FIRENZE

ROMÆ,
Ex Typographia Reu. Cameræ Apoſt. 1660.

Die xij. *Iulij* :

IN FESTO
S. IO. GVALBERTI
ABBATIS.
SEMIDVPLEX.

Omnia de Communi Abbatum præter Lectiones ij. & iij. Nocturni.

Oratio.

INterceſsio nos, quæſumus Domine, beati Ioannis Gualberti Abbatis cõmendet: vt quod noſtris meritis non valemus, eius patrocinio aſſequamur. Per Dñm.

Lectiones j. Nocturni de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTVRNO.

Lectio iiij.

IOannes Gualbertus Florentiæ nobili genere ortus, dũ Patri obſequens rem militarem ſequitur, Vgo vnicus eius frater occiditur à conſanguineo: quem cùm ſolum, & inermem ſancto Paraſceues die Ioannes armis, ac militibus ſtipatus obuium haberet, vbi neuter alterum poterat declinare, ob ſanctæ Crucis reuerentiam, quam homicida ſupplex mortem iam iam ſubiturus brachijs ſignabat, vitam ei clementer indulget. Hoſte in fratrem recepto, proximum ſancti Miniatis templum oraturus ingreditur, vbi adoratam Crucifixi imaginem,

ginem, caput ſibi flecte-
re conſpicit. Quo mirabili
facto permotus Ioannes,
Deo exinde, etiam inuito Patre, militare decernit,
atque ibidem proprijs ſibi manibus comam totondit,
ac Monaſticum habitum induit, adeoque pijs, ac religioſis
virtutibus breui coruſcat, vt multis ſe perfectionis
ſpecimen, ac normam præberet; ita vt eiuſdem loci
Abbate defuncto, communi omnium voto in ſuperiorem
eligeretur. At Dei famulus cupiens ſubeſſe potius,
quàm præeſſe, ad maiora Diuina voluntate ſeruatus,
ad Camaldulenſis Eremi incolam Romualdum proficiſcitur:
à quo cœlicum ſui inſtitutivaticinium accipit: tum ſuũ
Ordinem ſub regula ſancti Benedicti apud Vmbroſam vallem
inſtituit. Tu autem.

Lectio v.

Deinde plurimis ad eum ob eius ſanctitatis famam, vndique conuolantibus, vnà cum ijs, in ſocios adſcitis, ad hæreticam, & ſimoniacam prauitatem extirpãdam, & Apoſtolicam fidem propagandam ſedulò incumbit, innumera propterea in ſe, & ſuis incommoda expertus. Nam vt eum, eiuſque ſocios aduerſarij perdant; noctu ſancti Saluij cœnobiũ repentè aggrediuntur, templum incendunt, ędes demoliuntur, & Monachos omnes lęthali vulnere ſauciant; quos vir Dei vnico Crucis ſigno incolumes protinus reddit; & Petro eius Monacho per immenſum, ardentiſsimumque ignem illæſo mirabiliter tranſeunte, optatam ſibi, & ſuis tranquillitatem obtinet: inde ſimoniacam labem ab Hetruria expulit

lit, ac in tota Italia fidem priſtinæ integritati reſtituit. Tu autem.

Lectio vj.

MVlta funditus erexit Monaſteria, eademque, & alia ædificijs, ac Regulari obſeruantia inſtaurata, ſanctis legibus communiuit. Ad ægenos alendos ſacram ſupellectilem vendidit. Ad improbos coercendos elementa ſibi famulari conſpexit. Ad dæmones comprimendos, Crucem, quaſi enſem adhibuit. Demum abſtinentijs, vigilijs, ieiunijs, orationibus, carnis macerationibus, ac ſenio confectus, dum infirma valetudine grauaretur, Dauidica illa verba perſæpe repetebat: Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? Iamq. morti proximus, conuocatos diſcipulos ad fraternam concordiam cohortatur, & in Breuiculo, cui conſepeliri voluit, iuſſit hæc ſcribi. Ego Ioannes credo, & confiteor fidem, quam ſancti Apoſtoli prædicauerunt, & ſancti Patres in quatuor Concilijs confirmauerunt. Tandem triduano Angelorum obſequio dignatus, ſeptuageſimum octauum annum agens, apud Paſsinianum, vbi ſumma veneratione colitur, migrauit ad Dominum anno ſalutis milleſimo ſeptuageſimo tertio, quarto Idus Iulij. Quem Cœleſtinus tertius innumeris miraculis clarum, in Sanctorum numerum retulit. Tu autem.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Matthæum.

cap. 5. f. 43.

Lectio vij.

IN illo tempore: dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Audiſtis, quia dictum eſt: Diliges proximum tuum, & odio

& odio habebis inimicū tuum, & reliqua.

Homilia S. Hieronymi presbyteri.

lib. I. *Comment. in c.* 5. *Matth.*

EGo autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros, benefacite iis, qui oderunt vos. Multi præcepta Dei imbecillitate ſua, non ſanctorum viribus, æſtimantes, putant eſſe impoſſibilia, quæ præcepta ſunt, & dicunt, ſufficere virtutibus, non odiſſe inimicos: cœterum diligere, plus præcipi, quàm humana natura patiatur. Sciendum eſt ergo, Chriſtum non impoſſibilia præcipere, ſed perfecta. Quæ fecit Dauid in Saul, & in Abſalon: Stephanus quoque martyr pro inimicis lapidantibus deprecatus eſt, & Paulus anathema cupit eſſe pro perſecutoribus ſuis: hæc autem Ieſus & docuit, & fecit, dicens: Pater ignoſce illis: qood enim ciunt, neſciunt. Tu autem.

Lectio vij.

IN reliquis operibus bonis interdum pote aliquis qualemcumque excuſationem prætendere: ad habendam verò dilectionem nullus ſe poterit excuſare. Poteſt mihi aliquis dicere, non poſſum ieiunare, numquid poteſt dicere; non poſſum amare? Poteſt aliquis dicere, virginitatem non poſſum ſeruare; non poſſum res totas vendere, & pauperibus erogare: nunquid poteſt dicere, non poſſum diligere inimicos? Tu autem.

Lectio ix.

NOn enim ibi, aut pedes laborant currendo, aures audiendo, aut manus operando laxantur, vt nos per ipſam excuſationem liberare conemur. Non nobis dicitur: Ite ad Orientem, & quæ-

& quærite charitatem, nauigate ad Occidentem, & inuenietis dilectionem. Intus in noſtro corde eſt, vbi redire iubemur, dicente Propheta: Redite præuaricatores ad cor. Non enim in longinquis regionibus inuenitur, quod à nobis petitur.

Tu autem.

Miſſa. Os iuſti &c. de Communi Abbatum.

Sequentia ſancti Euangelij ſecundum Matthæum. *cap.5.f.13.*

IN illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Audiſtis quia dictum eſt: Diliges proximum tuũ, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros; benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus,& calumniantibus vos: vt ſitis filij Patris veſtri, qui in cœlis eſt, qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos. Si enim diligitis eos,qui vos diligũt, quam mercedem habebitis? nonne & publicani hoc faciunt? Et ſi ſalutaueritis fratres veſtros tãtum, quid amplius facitis? nonne & ethnici hoc faciunt? Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt.

CVm aliàs ad preces Eminentiſſimi, & Reuere[...] mi D. Cardinalis Caroli Medicei Epiſcopi Oſt[...] Decani Sacri Collegij, Protectoris Congregationis [...] lisvmbroſæ Sanctiſſimus Dominus Noſter annuiſſet, [...] vniuerſa ditione Sereniſſimi Magni Ducis Hetruriæ [...] à Sæcularibus, tum à Regularibus vtriuſque ſexus quot[...] nis die 12. Iulij feſto S. Io. Gualberti præfatæ Congreg[...] tionis Inſtitutoris recitari poſſit officium eiuſdem Sanc[...] ſub ritu Semiduplici; nouiſſimè verò ſupplicatum ſit, [...] Officium, vniuerſim in ditione præfata recitandum, [...] Miſſa celebranda decernerentur. Sacror. Rituum Congr[...] Officium, & Miſſam de communi Abbatum cum Lectio-nibus ſecundi Nocturni olim ad Monachorum vſum ap-probatis, nec non Euangelio. Audiſtis quid dictum eſt: Diliges proximum tuum, & Homilia S. Hieronymi Preſ-byteri indulſit, ac imprimi poſſe conceſſit. Die 12. Iu-nij 1660.

I. Epiſc. Sabinen. Card. Sacchettus.

Loco ✝ Sigilli.

Franciſcus Maria Phœbeus Sac. Rit. Congreg. Secr.

Gratis etiam quoad ſcripturam.

955532